

199

197

203

193

208

188

248

148

298

098

Ende

Anfang

184

faciem ex opposito esset longe, (71A) tamen esset Palestina Phylistinorum, terrae sanctae contermina, et ita erat. Cumque jam nullum dubium esset quin terram sanctam videremus, et montes Israel praे oculis haberemus; imperavit patronus silentium fieri, et paeconis voce certificavit nos hanc illam esse terram benedictam, in qua filius Dei Jesus Christus, Dominus noster, conceptus, natus, conversatus, crucifixus, mortuus, sepultus et tertia [die] de sepulchro resuscitatus est, sicut certissima fide confitemur. Idcirco dignum et justum esse intimavit, gratias redemptori agere, et altissimis vocibus hymnum laetitiae decantrare. Duo ergo de peregrinis sacerdotes et religiosi bene vociferati ascenderunt de transtris ad malum, ad locum, ubi solet legi Missa navalis, et uniformiter alta voce emissa canticum Ambrosii et Augustini inchoaverunt: Te Deum laudamus; quod caeteri clerici more ecclasiastico prosecuti sunt, cantantes unusquisque secundum notam chori sui. Nunquam audivi tam laetum et suavem cantum. Erant enim voces multae, et ex multiplice dissonantia dulcis quodammodo discantus et harmonia causabatur. Nam omnes eadem quidam verba sonabant, sed notis quadam suavi modulatione dissonabant, et jocundum valde fuit audire, tot clericos simul eundem cantum concinere ex laetitia. Ibi erant clerici latini multi, sclavi, italici, lombardi, gallici, franci, theutonici, anglici, hibernici, ungari, scoti, daci, bohemi et hispani, et multi eiusdem quidam linguae, sed de diversis dioecesisbus et de diversis ordinibus. Et hi omnes mirabile Te Deum cantabant, quibus etiam saeculares tam galéotae quam peregrini consonabant prægandio ad sortem conclamantes. Sed et tubicines vel trompetae nostri fortissime tubis vel trumpetis concrepabant, et schalmiis sonabant, et bogadellus quidam joculator cum tympano et sambuce ludebat, et quidam alii fistulis et musis voces dabant. Inter haec quidam contra terram sanctam orabant, alii præ gaudio in cantu flebant; et sic cantabant omnes canticum novum ante sedem Dei, et resonabant terra et mare in voces eorum. Videbatur enim nobis sic cantantibus, quod galea nostra resultaret et celerius curreret, mareque liberius sulcaret, ventus quoque vela ipsa cōpiosius impleret, et aqua vento mota velecius nos impelleret. Itaque finito hymno et laudibus sig-

